



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hortulus Biblico-Moralis Et Asceticus

Pappus von Tratzberg, Franz

Ulm, 1725

Fasciculus XLII. Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61252)

FASCICULUS XLII.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 1. & 2. lib. 3. Regum, in quibus describitur Davidis senium, frigus membrorum, electio Abisag in conjugem. Salomonis inauguratio rejecto Adonia. Testamentum Davidis, ejectio Abiathar a gradu Sacerdotii, cedes Joab.

N. 281. Considera 1.

ADmirabile illud frigus, quod Davidis membra in senectute nondum decrepita dicitur occupasse. eò effectu, ut testetur S. Scriptura cit. capite: *Cum aperiretur vestibus, non calefiebat.* Sin autem tanti frigoris & algoris causam inquiras? reponet Abulensis, utriusque Glossæ sententiam secutus; illud natum esse ex timore, quò vidit Angelum percipientem numerò Populò: *Timuit enim valde, & cecidit in terram, & in tantum conturbatus est: quòd usque ad mortem mansit in eo timor, & infrigatio.* Jam verò Christiane Lector, si David unicò aspectu irati Angeli tantò percussus est timore, ut calor naturalis eum usque ad horam mortis fermè penitus dereliquerit; quantus terror est futurus, quando non Angelus, sed ipse Angelorum Princeps, & Rex tremendæ Majestatis est venturus, stringens rigidissimæ Justitiæ gladium, quem nullæ mitigare preces, nulla patrocinia inflectere, nulla sopire munera poterunt? si integra cohors animosorum militum corrui ante Christum, nimio timore prostrata, quando in forma servi eis obviam factus, blandeque allocutus dixit: *Ego sum.* Quid tunc fiet, quando Ille in forma irati Judicis apparebit, nil nisi mera fulgura contra impios locuturus? Apocalypseos 6. legitur: *dicturos esse impios montibus & petris: Cadite super nos, & abscondite nos a facie Sedentis super thronum.* Quid quæso terribilius ruinâ montis? hæc tamen foret eis solatio. Nec tantum dicent montibus: *Opprimite, sed abscondite nos,* quasi satius ipsis foret, gestare montium pondus, quam ferre faciem irati Judicis, & audire ejus horrendam vocem dicentis: *ò Christiane! bestiis ingrator, nonne tibi ani-*

animam infudi, essentia meae simillimam, tu verò effrenes passionum tuarum stimulos secutus, eam adeò defœdâsti, ut in bestiam degenerâsse videretur. Nonne in fidelem tui corporis custodem unum ex Paradisi Principibus consignavi tibi, tu verò posthabitâ ejus custodiâ, spretis ejus consiliis, rejectis ejus monitis, ejus præsentiam inhonorâsti? nonne sexcentas creaturas in tui obsequium destinavi, quibus tamen omnibus in mei contumeliam abusus es? quoties peccata à te commissa gratiosè condonavi, ut tandem in meo servitio constans perdurares? quoties paternis flagellorum ictibus te è via perditionis reducere conatus sum, ut velut ovem perditam adjungerem Electorem gregi? sed hæc omnia profuere non plus, quam ut majoribus adhuc peccatis mihi esses injurius. Cerne nunc impurissimæ carnis tuæ spurcitas, quibus imaginem meam conspurcâsti. Cerne innumeras fraudes & fallacias, quibus fratres meos damnificâsti. Cerne mille intemperantias, quibus dona mea obligurivisti. Audi horrendas illas blasphemias, quibus Nomen meum affecisti, audi verba obscœna, quibus pusillos scandalizâsti. Audi detractiones, quibus proximorum famam denigrâsti. Hæc omnia me tacente clamant vindictam contra te. Propheta Daniel tantùm in visione imaginaria Christum in extremo Judicio venturum, & talia fortè loquentem contemplatus, testatur de se c. 7. *Horrui spiritus meus.* Quid ergo continget peccatori, cui dabitur re ipsâ audire, & videre illa? si fortissimæ tremunt columnæ, per umbram tantummodo territæ, quomodo tunc fragiles stabunt arundines? igitur Christiane Lector, si cupis ardorem malorum passionum, præsertim luxuriæ extinguere, supremi Judicis tremendum tibi vultum & vocem meditare, fiet inde; ut sacro castitatis frigore affecta membra, nullis tentationibus ad venereos calores sint permovenda, sicque Davidem imitaberis, de quo versu 5. hujus capititis asserit S. Scripturæ textus: quòd formosissimæ puellæ Abisag copulatus, nullum unquam cum ea carnale habuerit commercium. Quin imò non tantùm carnalia in te extinguere vitia, sed etiam spiritualia, inter quæ Primatum possidet *Superbia & Ambitio.* Quare si regnandi cupido *instar Adonie* te incendat, ocius tremendum illum Judicem cogita, qui de ambitiosis in extremo Judicio hanc feret sententiam: *Discedite à me maledicti in Ignem æternum &c.*

Considera 2. Plurimis Christianis idem evenire, quod Scripturâ teste cap. 2. evenerat Sacerdoti *Abiathar*, qui partes ambitiosi *Adoniae* secutus, *Salomonis* vindictam in se provocavit, audiens ab illo: *siquidem vir mortis es tu, sed hodie te non interficiam, quia portasti Arcam Domini &c.* Ita illi, partes Mundi sæpè per flagitia & peccata secuti, haud dubiè æternâ morte à divino *Salomone* mulctarentur: nî per Sacram Communionem Eucharisticas Species (quæ ceû *Arca Domini* cœleste *Manna* continent) in suis labiis & stomacho portassent. Quare *S. Laurent. Justin.* in Serm. de Eucharist. ad sanguinem Agni paschalis alludens, quò Deus à Populo suo portarum postes tingi voluit, Christianos sacrum convivium accedentes talibûs alloquitur verbis: *neque tibi percussor Angelus nocere valebit, si Agni istius saginatus fueris Edulô.* Pulchrè etiam ad propositum nostrum asserit *Albertus M.* tract. c. 2. supra illa verba *Apocal.* nolite nocere terræ & mari &c. *consignari debet Christo, qui est de familia Christi & sanguinis ejus, quia non consignati percutimur.* Est profectò Eucharistica isthæc *Arca*, devotè à Christiano portata, opus illud, intuitu cujus ait *Habacuc* ad Deum: *cum iratus fueris misericordie recordaberis.* Hinc Christiane Lector, qui toties peccatis tuis divinam provocasti vindictam: ut vitam conserves, & pœnam effugias æternam, frequentem hanc *Arca* per devotam communionem porta. *Per devotam inquam communionem:* aliàs indignè portans, iudicium portabis tibi, experturus idem, quod v. 29. citati cap. *Joabo* accidit, qui licet ad *Tabernaculum Domini* confugerit, apprehendens cornu Altaris, mortis tamen telum non effugit, tangens Sacratum locum manibûs sanguine *Abner* & *Amasæ* pollutis.

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 3. 4. & 5. lib. 3. Regum, in quibus describitur Oratio Salomonis à Deo exaudita, collata ei sapientia in lite mulierum per admirandam sententiam comprobata. Salomonis pactum cum Hira de Lignis & operariis, ad edificium Templi requisitis &c.

N. 283. Considera 1. **S**alomonem à Deo audientem: postula à me, quod vis, ut dem tibi, cap. 3. v. 5. Non petiisse regales Thesuros, non insignes de hostibus triumphos, non novas Regiones, quibus dominaretur, non multos & seros Posterios, sed unicam petiisse sapien-

pientiam, quam etiam summo in gradu obtinuit. Hæc verò vix ob-
 tentâ contigit teste S. Scripturâ v. 16. citati cap. venisse ad ipsum duas
 mulieres litigantes: *tunc venerunt duæ mulieres &c.* Quod factum expen-
 dens S. Greg. Moral. lib. 8. c. 17. ait: *anima, quæ sublevata immensò lu-
 mine exultat, tentatione pulsata, quid sit, inveniat &c.* Vult ergo illuminatus
 iste Doctor dicere: animam Christiani hominis, quamprimùm à Deo
 altiori sapientiâ illustretur, illicò tentationibûs vexari, ne in noxia quiete
 relicta, vanè de se præsumat. Sapientissimi filii parens sapientissimus eò-
 dem tempore, quò divinò irradiatus lumine sibi applaudebat cantans Ps.
 29. *ego dixi in abundantia mea, non movebor in aternū. testari pariter coactus est:
 avertisti faciem tuam, & factus sum conturbatus.* Agnovit tamen tentationem
 istam sibi ingentis beneficii locò evenisse, cum recinit: *bonum mihi,
 quia humiliasti me &c.* S. Paulus in Doctorem Gentium ob cœlitus in-
 ditam sapientiam creatus, testatur de se 2. Corinth. 12. *ne magnitudo re-
 velationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus Sathane, qui
 me colaphizat.* Sicut enim in cista pretiosissimâ impleta vestibûs, om-
 nia putrescunt, si semper clausa maneat, vestibûs nunquam auræ
 expositis, ita magni intellectûs Dona in homine deposita, si non
 quandoque tentationum vento exponantur, redduntur putrida. Et
 sicut cardò, asserit Origenes super lib. Num. *etsi præcipua magnæque sit, si
 sale non aspergatur, brevi corrumpitur: ita & anima, etsi excelsa sit: nisi tenta-
 tionibus assiduè salietur, & relaxatur.* Dicam ego: esse cinerem, qui su-
 pernum in homine conservet ignem. Dicam, esse Austrum illum,
 qui hortum Sponsæ perflat, ut virtutis odorem nunquam non spiret,
 esse nivem, quæ illam instar lanæ seu pellis foret, & fecundam reddit
 Christiani pectoris terram, esse Gentem illam, quam dereliquit Do-
 minus, ut erudiret in eo Jerosolymam. Hæc dicta confirmat atern-
 num Patris verbum, quod teste Blasio nostrò in conclavi animæ c. 4.
 olim apparens S. Brigittæ, dixisse fertur: ut homo intelligat infirmi-
 tatem, quam habet à seipso, & fortitudinem, quam habet à me, ne-
 cesse est, ut quandoque permittatur pulsari pravâ cogitationibûs, quibûs
 si non consentit, illi efficiuntur ei purgatio animæ & custodia virtu-
 tum. Quare Christ. Lector, si statim post tempus illud, quò te supernò
 lumine illustratum instar Salomonis accedunt mulieres, tentationes vi-
 delicet in te litigantes, jube ocus tibi afferri gladium mortificationis, &
 tentationes illas dum etiamnum infantes sunt vix natæ, dividere allabo-
 ra, nil materni affectûs erga illas demonstrans, aliàs si fovisti, periisti.

Quoties vestiteris, toties coronaberis, inquit S. Bernardus. Hoc unicum tamen ora, inquit Salominis à Deo petere jussus: ne nos inducas in tentationem, h. e. intesprete Augustinò: ne desertus adjutoriò Dei tentationi vel consentias deceptus, vel cedas afflietus. Nam & perfectissimi athlethæ Dei suis nunquam in hoc bello confidebant viribus, sat gnari: non dari in hac vita tam rigidam disciplinam, tam consummatam sanctitatem, quæ de victoria semper sit secura. Vicit tentatio in piissimis viris longa jejunia, frequentissimas orationes, assiduas mortificationes. Vicit Sanctissimos Patriarchas, superavit zelosissimos Prophetas, prostravit castissimos Nazaræos, seduxit fidelissimos Apostolos, excæcavit sapientissimos Sacerdotes, violenter è claustris extraxit Monachos, Anachoretas ex Eremis, virgines è Monasteriis. Ergò ora assidue: & ne te inducat in tentationem.

N. 284.

Considera 2. Mirâ Dei Providentiâ factum esse: quod Templum illud in toto orbe celeberrimum, non à Davide, etsi virò piissimo, sed à Salomone ejus filio fuerit extruendum. Is ad Regem Tyri scribens, talibus utebatur verbis cap. 5. v. 2. *Tu scis voluntatem David Patris mei, & quia non potuerit adificare Domum Nomini Domini Dei sui propter bella imminuentia per circuitum, donec Dominus daret eos sub vestigio pedum ejus. Nunc autem requiem dedit Dominus Deus meus mihi per circuitum, & non est Sathan neque occurfus malus.* Quæ verba expendens Doctissimus Marulus lib. 3. c. 6. asserit: quoniam David in negotiis militaribus assidue versatus, hostium cruore scedaverat manus, prohibitus est, ædificare Altare Domino: Salomon autem jussus est, ut qui semper pacificus, & belli abstinens fuit. Constat inde, quanti apud Deum momenti & meriti sit Pacis amor, belli & discordiarum odium. Huc videtur alluisse Deus in ipso creaturarum exordio, quando videlicet creans animalia, usu rationis destituta, ea creavit duplicia, masculum & fœminam, creans verò hominem creavit unum, Adamum nempe Protoparentem nostrum, ex cujus dein costa fœminam formavit. Hoc factum declarans S. August. lib. 12. de civit. Dei ait: *propterea Deus creare voluit unum, puta hominem, de quo multitudo propagaretur: ut hac admonitione etiam in cunctis unitas servaretur.* Theodoretus quæst. 30. in Exod. Augustino consentiens, inquit: volebat creator naturæ ad concordiam adducere unumquodque genus, hac de causa ipsum Adamum de terra formavit, ex eo verò mulierem, ut eandem in illis esse naturam demonstraret, & naturalem quandam benevolentiam mutuam in

in illis infereret; si enim rebûs sic se habentibûs viri cum mulieribus contendunt, & mulieres cum viris, quid non admisissent, si aliunde mulierem formasset? eodem fine solis hominibus Deus impressit suam imaginem & similitudinem Genes. 1. ut teste Idiotâ lib. 3. contempl. eidem similes facti, charitate se invicem diligant. Id moris in valuerat apud veteres Æthiopiæ Populos, ut omnem ignem certò quodam anni die extinguerent, novum accensuri, quem ipse Rex silice eliciebat. O quàm fortunata foret Christianorum Gens! si & ipsa laudatum hunc morem modò spirituali ac mysticò observaret, extinguendò in cordibus suis omnes inimicitia flammâs, & accendendò novum pacis ac concordia ignem, juxta illud Lucæ 12. *ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur*: Israëlita finitâ captivitate Babylonica in patriam reduces, non dubitaverant: superesse ignem pro sacrificiis Deo offerendis, quem Jeremias occultaverat; sed suâ spe penitùs se invenère frustratos, quando locò ignis visa ab illis est aqua, stagnans & lutulenta. Verba S. Scripturæ sunt 2. Mach. 8. *& non invenerunt ignem, sed aquam crassam*. Christiane Lector male metuo, ne idem Deo obtingat, qui scrutaturus cor tuum, an foveat ignem pacis & concordia cum proximis tuis? cernere cogatur, in vicem hujus ignis successisse aquam crassam odii & inimicitia. Verùm si S. Evangelio credis, quid aliud tibi præfagire poteris, quàm te talem aquam in pectore diu circumferentem, transiturum ad ignes in æternum non extinguendos. Hos autem evitare si cupis, expelle has aquas, & cum inimico in gratiam rediens: ut ignem amoris erga illum semper conserves, dic cum Rege Hiram, Salomonem alloquente v. 8. cit. cap. *ego faciam omnes voluntatem tuam*.

Doctrina 3.

Desumpta ex cap. 6. & 7. lib. 3. Regum, in quibus describitur Templi structura absque ullius mallei sonitu, ornatusque Templi. Fabrica Domûs regia & saltus columnarum &c.

Considera 1. **I**N illa fabrica, quæ ter mille & trecentos opificum mini- N. 285.
stros & octoginta tria millia artificum occupaverat, quos
Rex Tyri miserat, & totidem Rex Ægypti, nec minimum quidem
exaudiri potuisse strepitum testante S. Scripturâ c. 6. v. 7. *malleus &*
secu-

securis, & omne ferramentum non sunt audita in Domo, cum adificaretur. Tam exactum ergo silentium in hac celebri structura observabatur, ut solitudo omnibus sufficerent. Econtra Redemptor noster, qui plusquam Salomon, per tot Decreta & leges Scriptas, a fidelibus suis in Templis jam actu ædificatis hætenus obtinere non valuit, ut abessent tam frequentes linguarum garrulitates, pedum strepitus, & plures ejusmodi actus, qui sacro silentio, in Templis suis exactissimè observando, plurimum obsunt. Domum orationis, ait S. Basil. in locum vertunt effusissime loquacitatis, minus obtemperantes Psalmo huic contestanti, ac dicenti: in Templo ejus omnes dicent gloriam. Tu autem non tantum non dicis, sed & alteri cuiquam impedimento es, eumque tibi uni reddis attentum, dum obstrepere tuò clamore obtundis, & exsuperas personantem Spiritus Sancti Doctrinam. Ciconiæ etsi garrulitate suâ nulli avium cedant, attamen caucasum montem superaturæ obmutescunt omnes ex solo aquilæ illic habitantis timore. Cur non etiam Christianos præsentia realis aquilæ illius grandis, quæ Christus dicitur, salubri timore ad silentium in monte Dei permoveat? quæ causa subest: quòd Christus repertas in Templo oves & boves flagellò eiecerit, jubens columbas tantum auferri, non flagellis in eas debachatus? oves & boves quis nescit, animalia esse, quæ frequentè & inconditò balatu boatuque quieti & silentio plurimum obesse solent, non item columbæ: & hinc causa videtur satis detecta, quæ Christum permoverat, has aves non flagello ejiciendi. Verùm cum nec illas, silentio & quieti aliàs parum injurias, pati voluerit, quomodo patietur ibidem homines versari qui integris propè horis confabulantur, corridant, narrant novellas? &c. Rhod. lib. 2. narrat: Sinarum Regem, cum adesset Sacrificio Christianorum, ephebosque suos ante ostium Templi perstreptentes audivisset, eorum etiam levissimam insolentiam ipsa morte punivisse. Si garrulitas tua Christiane, tam sæpè numerò in ipsis Templis exercita, parem tulisset pœnam, jam sexcenties mortem subiisses. Sed ne Rex Regum ab hac temporali pœna tibi parcens, non aliquando garrulitatem tuam æternâ puniat morte; hinc emendatus, silentiò in Templis stude.

N. 286. Considera 2. Salomonem amplissimum illud Templi ædificium spatiò septem annorum absolvisse integrum; cum tamen ædificando regali Palatio, quod Templo longè fuerat inferius, tredecim annos impenderit teste Scripturâ c. 7. v. 1. Domum autem suam adificavit tredecim annis. Maturabat divinum illud opus tum Pòpuli fervor & pietas, tum ipse

ipse zelus Regis, à quibus nos Christiani proh pudor! totò cœlò distamus: utpote in rebus Dei cultum concernentibus pigerrimi; in iis verò, quæ nostrum concernunt commodum solertissimi; præfigurati per hominem evangelicum, qui Luca 6. dicitur habuisse dexteram aridam, non verò sinistram. Quod ipsum pulchrè, sed nobis ad confusionem declarat M. Greg. Moral. 19. c. 16. dicens; *omnes sæculi hujus amatores in terrenis rebus fortes sunt, in cœlestibus debiles: nam pro temporali gloria ad mortem usque desudare appetunt, & pro spe perpetua nec parum quidem in labore subsistunt. Pro terrenis lucris quaslibet injurias tolerant, & pro cœlesti mercede tenuissimi verbi ferre contumelias recusant &c.* Tales Christianos merito similes dixeris vaccis illis, quæ 1. Reg. 6. Arcæ Domini à Philistæis fuerant alligatæ: hæ licet aliis vicibus longè gravius traxerint jugum, mugire tamen non fuerant auditæ: sed Arcam non absque murmure & mugitu traxêre. Si augendæ sunt opes, si sperandæ laudes, si obtinendus honor, nulli parcitur labori, nulla difficultas ad eò gravis occurrit, quæ non perennî & indultrâ sudore vincatur. Dies si non sufficient, integræ noctes inter labores ducuntur indefessæ. Verùm ubi res pro Dei gloria, pro Religionis incremento, pro Templorum ornatu, pro animarum lucro agitur, omnia membra languent, omne tempus nimium est, omnis labor difficilis. Et hinc homines quoad negotia terrena, suo commodo profutura, sunt *instar columnarum Salomonis ad omnes labores infracti, ad negotia in Dei gloriam destinata, reperiuntur instar arundinum ad terram depressi.* Sed quæ tandem erit impigerrimè pro sæculo laborantium merces? talis erit hercle, qualem recêpere illi, qui tartareò ejulatu exclamant sapientiæ s. *lassati sumus in via iniquitatis & perditionis &c. Viam autem Domini ignoravimus.* Ignorantiâ sanè aut crassâ, aut affectatâ, quarum utraque à Theologis vocatur culpabilis, & vî cujus locò cœlestis Palatii, omnis miseræ abyssum sibi in perenne struxêre habitaculum.



Doctri-

Doctrina 4.

Desumpta ex cap. 8. & 9. lib. 3. Regum, in quibus describitur Varia Salomonis ad Deum susa petitio, Dedicatio Templi & Hostia, Divina Sanctificatio Templi per promissam Dei presentiam & ejus opem, Remuneratio Hiram, oblati tamen oppidis non contenti &c.

N. 287. Considera I. **V**aria inter petita, quæ Rex Salomon Templo jam penitus erecto ad Deum direxerat, primo omnium loco ponendum illud, quod cap. 8. v. 35. formaverat, hiscè constans Verbis: *si clausum fuerit Cælum, & non pluerit propter peccata eorum, & orantes in loco isto penitentiam egerint, exaudi eos in Cælo.* Quæ Verba fervidæ orationis duplicem nobis detegunt Veritatem. Prima harum est: Cælum nostris peccatis claudi, ut nihil inde gratiæ, nihil ubertatis defluat. Altera verò in eo sita est: quòd pluvia de Cælo non decidat, nisi sinceræ penitentia lacrymæ præcedant. Veritatem primam confirmant Verba S. Scripturæ levit. 26. quibus comminatur Deus: *propter peccata vestra dabo Vobis Cælum desuper sicut ferrum, & terram aneam.* Quod non tantum præteritis sæculis Hebræos peccatores experientia docuit, sed etiam impios Christianos, dum asserit S. Basil. homil. 16. in divites avaros scribens post alia: terra jam exsiccata & ad extremum aspectu est horrida, & ad agriculturam est sterilis & infœcunda, deinde ob siccitatem scissa, hiatus patefecit maximos, ut in imis visceribus excipiatur radius. Fontes plurimi & perennes nos deseruere, fluminum quoque magnorum cursus deserunt. Veritatem alteram comprobat glossa interlin. quando huic quaestioni per Jeremiam motæ: *usquequò lugebit terra, & herba omnis Regionis siccabitur?* isthoc obviat responsio: *donec scilicet animus peccantium mutetur.* Sed quid indicat, mutari animum peccantis: quam eum fieri penitentem de peccatis, & effusis lacrymis fieri pro venia supplicem? Historia Francisc. part. 4. refert: beatum fratrem Nicolaum eò tempore, quò horrenda siccitas tellurem reddiderat infœcundam, Populum e cathedra admonuisse, ut Orationibus & Processionibus insisteret, divinum placaturus Numen. Cùm ille verò cogereetur experiri, irritas cadere Populi preces, monuisse de novo, ut precibus conjungerent solidæ penitentia opera, Et hem! mutatis


tatis per pœnitentiæ lacrymas hominibûs mutatum est Cœlum, copiosas affundens pluvias, quibus agros reddidit fertilissimos. ò Christiane! quàm sæpè contingit; agrum animæ tuæ gravissimam perpeti siccitatem; adeo, ut ad virtutum fructus producendos videatur penitus ineptus. Quò casu melius pellendæ siccitati tuæ non aderit remedium, quàm Oratio sinceræ conjuncta pœnitentiæ. Oratio enim tua pœnitentiam non habens sociam si fructu optatò careat, pœnæ Talionis vices patitur: est enim Deus etiam sæpè à te non exauditus, quando stetit ad ostium, pulsans Apocal. 3. meritò igitur eadem mensurâ remetitur, quâ mensus es ei Matth. 7. Sic olim diutiùs surdas aures fratrum gemitibus opposuit Joseph, quia & ipsi priùs inter summas animæ suæ angustias eum non exaudierant. Unde demum hujus culpæ memores dixere Genes. 42. *meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animæ ejus, dum deprecaretur nos, & non audivimus, idcirco venit super nos ista tribulatio.* Junge ergo precibus tuis pœnitentiæ lacrymas, & exauditus à Deo, cœlesti pluviam sæcundaberis in anima tua, ut optatos virtutum & meritorum fructus protrudat.

Considera 2. Quòd licet Deus apertas semper deferat aures, quibus fidelium preces ubi ubi tandem fusas, gratiosè excipiat: nullibi tamen ad exaudiendum illas promptior reperiat, quàm si fuerint in Templis, ad ejus specialem Cultum destinatis, profusæ. Quare cap. 9. v. 3. asserit Salomoni: *Sanctificavi Domum hanc, quam edificasti, ut ponerem Nomen meum ibi, & erunt oculi mei & cor meum ibi cunctis diebûs.* Anus Anna, Sanctissima Samuelis mater, orationem suam Deo factura: etsi haud dubiè peraccommodum domi suæ habuisset angulum, quò à sæculi negotiis sejuncta, uni colloqueretur Deo: Tabernaculum tamen accedere consueverat, suò testata exemplò: nullibi magis propitium reperiri Deum, quàm in locis specialì cultu ei deputatis. Anus altera Anna, filia Phanuelis de Tribu Asar Lucæ 2. etsi videretur per decrepitam ætatem excusata, à Templo frequentius accedendo; & hinc suis in ædibus inclusa orans potuisset sperare, se exaudiendam à Deo, attamen citatò Evangelistâ teste: *non discedebat de Templo, jejunis & obsecrationibus serviens die ac nocte.* Ipsò factò experta, nullibi tam gratiosum inveniri Deum, quàm in Templis per orationes assiduas questum, quare Prophetiæ altissimò spiritu donata: *superveniens confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant Redemptionem Israël.*

Ddd

Repo-

Repones forsan verba Christi Matth. 6. dicentis: *intra in cubiculum tuum, & ibi clauso ostio ora Patrem tuum*, ac respondebit ocius S. Bernardinus tom. 2. ferm. 10. a. 3. c. 1. asserens: *ille cubiculum suum intrat, qui omnes humanos sensus ad interiora revocat: ille ostium suum claudit, qui cordis cogitationes, ne extravagentur, franat.* Noluit ergo Christus privatam cujusque cameram Domui Dei præferre, sed docere potius voluit: quâ mentis recollectione in ea preces persolvendæ sint. Confirmat nostrum propositum Hugo Card. in cap. 4. Joan. scribens: *notandum, quod locus sacratu & benedictus aptior & utilior est ad orandum.* Primò, quia ibi magis excitatur devotio & ferventior fit oratio. Item Benedictio Episcopalis & oratio eius majorem efficaciam insert orationi ad impetrandum, quia associatur orationibus generalis Ecclesie. Item quia Dominus Domum sibi dicatam, & habitantes, & psallentes in ea speciali gratiâ custodit, & visitat. Quare in necessitatibus tuis confuge ad Templum Christiane Lector. Satius & fructuosius erit, ibidem breves, sed magna cum loci Reverentia preces fundere, quàm domi longas. Agit Deus in Templis suis Salomonem, qui fidelium suorum pietatem ut Salomon *Hiram Regem* remuneratur. Et licet quandoque contingat: illos petita à Deo non statim assequi, velut *Hiram* non fuerat contentus oppidâ, sibi à Salomone donatis; attamen non cadendum animis, aut Deus inclementiæ arguendus est; sed potius id adscribendum inordinato petendi modo. Vel enim petimus aliqua, salutis animæ nociva, vel non petimus cum debita confidentia. Utrumque repugnat orationis naturæ, atquæ hinc non meretur divinum annutum.



FASCICULUS XLIII.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 10. & 11. lib. 3. Regum, in quibus describitur Alia Regina Saba cum Salomone. Salomonis depravati mores, Achia Vaticinium.

N. 289. Considera I. **C**hristianos, qui avidis auribus excipiunt sacras Conciones, iisdem verbis laudari posse, quibus Ministros Salomonis laudaverat Regina Saba cap. 10. v. 8. dicens: